

DISPUTATIO V.

De Causa meritoria Unionis.

CAUSA meritoria est is, qui exhibet opus in gratiam remunerantis factum, quod moraliter movet remunerantem ad dandum præmium, quod si fiat ex condignitate operis & æqualitate meriti ad præmium, est meritum de condigno, si fiat non ex condignitate operis, sed quia congruum erat, ut præmians opus alias de se non dignum tanto præmio remuneret, est meritum de congruo.

QUÆSTIO I.

An Unio sit facta per gratiam & precesserint merita?

DICO I. Si gratia accipiatur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens... unio incarnationis facta est per gratiam... non autem ita, quod sit aliqua gratia habitualis, qua mediante talis unio fiat. S. Th hic Q. 2. a. 10. O.

Prima Pars Constat & magis constabit ex discordis: Quia quidquid à Deo sine cuiusquam merito fit, hoc sensu fit per gratiam; atqui unio hypostatica sine cuiusquam merito à Deo facta est, ergo.

Secunda pars probatur: Gratia neque fuit dispositio physica neque moralis propriè loquendo, ad unionem hypostaticam, ergo unio non est facta mediante gratia. Anteced. quoad primam partem

Probatur I. Dispositio physica necessariò infert formam, ad quam disponit, & omnia ejus obsta-

cula à subjecto removet, sed gratia sanctificans non infert unionem hypostaticam nec ejus obsta-cula removet; ergo. Probatur Mi. Gratia sanctifi-cans toto ordine distinguitur & infinitum exce-ditur ab unione hypostatica & à personalitate di-vina, neque ad illam ullo pacto ordinatur, nec subsistentiam creatam, quæ foret impedimentum personalitatis divinæ expellit, ergo.

Secundò, Si humanitas Christi fuisset disposita per gratiam ad unionem hypostaticam, tunc pro illo priori dispositionis constitueret Christum Fi-lium Dei adoptivum, & sic Christus prius esset filius Dei adoptivus, quam naturalis; Consequens est falsum & erroneum; ergo & Antecedens; Se-quelā probatur: Effectus formalis gratiæ san-tificantis in subjecto non impedito est illud con-stituere Filium Dei adoptivum; sed pro illo priori humanitas non esset subjectum impeditum: cum non esset filius Dei naturalis, qui constituitur per unionem hypostaticam; Ergo.

*Ant. primum quoad 2. partem probatur 1. Dispo-sitio propriè moralis, cum moveat intellectum & voluntatem agentis ad formam introducendam in subjectum debet præcedere formam, sed gratia non potest præcedere unionem hypostaticam: cum per eam humanitas ipsa existat & subsistat; ergo. 2. Unio hypostatica non est data intuitu gra-tiæ; sed potius gratia est data intuitu unionis hypostaticæ juxta illud Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Ubi plenitudini gratiæ præmittitur gratia unionis cum Verbo tanquam causa illius. *Dixi propriè: Quia potest dici dispositio per mo-dum congruitatis, quia congruum erat, ut Ver-bum animam sua imagine insignitam & gratiâ re-ploram aslumeret.**

Obj.

Obj. Requiritur ad formam superioris ordinis aliqua dispositio, sicut in 1. parte docetur: quod ad visionem beatificam & unionem divinæ Essentiaæ cum intellectu beati requitatur lumen gloriæ; ergo, cum unio hypostatica sit supremi ordinis, ad eam requiritur aliqua dispositio, non alia, quam gratia sanctificans.

Ré. Distinguendo Antec. Ad formam superioris ordinis dantem operari requiritur dispositio Con. (cum operatio superioris ordinis supponat principium proximum, à quo procedat) dantem primum esse subsistentiæ & existentiæ N. hoc enim est primum in re, & tantum supponit potentiam obedientialem in re.

DICO 2. *Quantum ad ipsum Christum.* nullæ ejus merita potuerunt precedere unionem. S. Th. hic Q. 2. a. 11. O Explico: Christus nec de facto nec de possibili meruit unionem hypostaticam per opera unionem antecedentia. Pro intelligentia

Suppono: Absolutè potuisse fieri, ut humanitas Christi, antequam subsisteret subsistentiâ Verbi, subsisteret subsistentiâ alterius personæ divinæ, & ita subsistens mereretur per opera infiniti valoris subsistentiam Verbi; etiam absolutè fieri poterat, quod humanitas Christi antequam uniretur Verbo in propria hypostasi, per opera supernaturalia mereretur de congruo unionem cum Verbo. Sed sensus conclusionis est quod humanitas Christi subsistens subsistentiâ Verbi, non potuerit absolutè loquendo meteri eam unionem hypostaticam, quia est unita Verbo. Quo supposito

Prima part probatur: Si Christus de facto meruerit unionem hypostaticam; ergo actiones meritatoriae Christi vel tempore vel natura sunt priores unione hypostaticâ, sed nec fuerunt tempore

priores, alias Christus fuisse meritus ante unionem, & sic prius fuisse purus homo, quam Deus homo, quæ est hæresis Photini. Nec fuerunt naturâ priores: quia actiones Christi fuerunt actiones naturæ subsistentis subsistentiâ Verbi: cum actiones sint suppositorum, & consequenter non naturâ priores sed posteriores subsistentiâ Verbi sustentante naturam Christi.

Secunda pars probatur: Implicat, quod illud quod est principium meriti, sit terminus meriti; sed unio hypostatica est principium omnis operationis meritoriae Christi; ergo implicat, quod sit præmium vel terminus operationis Christi. Mi. probatur: Subsistens humanitatis Christi est principium operationis Christi, ergo etiam unio hypostatica, mediante quâ humanitas Christi accepit subsistentiam; Ant. probatur: Quia nulla natura potest operari, quin prius in se sit completa per subsistentiam & existentiam, & ita, quia nihil potest operari, quin prius existat & subsistat, etiam nihil potest per operationem vel tempore vel natura Antecedentem mereri, ut subsistat & existat. Ex quo sequitur: Quod neque de congruo potuerit Christus mereri unionem hypostaticam: quia ante unionem hypostaticam nullam humanitas Christi habuit existentiam & subsistentiam indit pensabiliter ad agendum requisitam. Ex quo principio bene observato omnia quæ contrâ conclusionem objici possunt, solvuntur.

QUÆ.

QUÆSTIO II.

An Christus per opera subsequentia meruerit Unionem?

Suppono : Distinguunt aliqui recentiores hic duplex meritum : impetratorium dicunt, quod sit actio obsequiosa existens, quæ moveat præmiantem ad præmium. Compensativum dicunt, quod sit actio obsequiosa non existens, sed quæ putatur futura movens præmiantem ad præmium postea per ipsam actionem obsequiosam compensandum, sic Rex dat militi Equum merendum per servitia militaria, Deus dedit Patribus Antiquis gratias intuitu meritorum Christi.

DICO. *Unio incarnationis... non potest cadere sub merito.* S. Th. hic Q. 2. a. II. O. Sive nec de facto Christus per opera unionem subsequentia eandem meritus est, nec mereri potuit.

Prima pars probatur : Saltem secundum ordinariam divinæ providentiae dispositionem meritum in Executione debet præcedere præmium, ergo opera subsequentia non possunt esse meriti unionis.

Deinde : Principium omnis meriti & prima ac summa gratia non cadit sub meritum, alias non esset principium, sed terminus meriti; atqui unio in Christo est principium omnis meriti, prima & summa gratia; ergo sicut in prædestinatis prima gratia non cadit sub meritum, ita nec in Christo prædestinorum omnium primo & exemplari, ex quo sequitur : quod nec Christus meritus sit unionis conservationem: quia conservatio est continua productio, sicut ergo non est meritus inceptionem unionis, ita nec ejus continuationem, &

E s

sicut

sicut ipsa initialis unio est principium meriti Christi, ita continuatio unionis est principium continuationis meriti, imo meritum Christi non fuit ordinatum nec ad unionem nec ad continuationem unionis.

Obj. Illud Pl. 44. ¶. 8. *Dilexisti Justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleum laetitiae;* Ubi per oleum laetitiae intelligent SS. PP. divinitatem unitam naturae humanae, & in Apoc. cap. 5. ¶. 12. *Dignus est Agnus, qui occisus est accipere virtutem & divinitatem;* & consequenter unionem.

R. Quod Christus sit meritus manifestationem divinitatis per gloriam, quam post resurrectionem accepit juxta illud Apost. Humiliavit semetipsum, propterea exaltavit illum, non autem ipsam unionem.

Secunda Pars probatur: Quia nec absolutè nec per modum compensationis potuit Christus meriti unionem, quoad primum ita ostenditur; non potest principium actionis meritoriae esse præmium, sed unio hypostatica est principium actionis meritoriae Christi subsequentis: quia ab unione habet valorem, quod autem dat valorem & proportionem operi meritorio ad præmium, est principium, & ita subsistentia Verbi est principium quo & physicum: quia actiones sunt suppositorum, & morale: quia inde habet moralem æstimabilitatem & condignitatem; ergo unio non potest esse præmitum. *Maj.* probatut: Causa præmii non potest esse præmium: quia idem non potest moraliter causare seipsum; principium meriti est causa moralis præmii. sicut ergo idem non potest esse prius & posterius in eodem genere causæ, sic non potest esse principium meriti & præmium: quia præmium est

est in genere causæ moralis effectivæ posterius merito, principium autem meriti est etiam prius merito in genere causæ moralis effectivæ influendo moraliter in actionem meritoriam, & dando valorem actui.

Quoad secundum: Quod etiam non potuerit materi per opera subsequentia per modum compensationis probatur: Quod meretur unionem, hoc vel existens vel prævisum existere movet ad dandam unionem: hæc enim est natura meriti, ut existens moveat ad aliquod præmium, in quo distinguitur motio finis & meriti, quod finis in genere causæ finalis moveat voluntatem ad medium, per quod finis existat, meritum non movet, ursipsum existat, sed ipsum presuppositum existere & existens movet efficienter, ut existat præmium, & sic meritum debet necessariò existere ante præmium; sed opus Christi nec existens nec prævisum existere potuit Deum movere ad decernendam incarnationem, vel dandam unionem: quia opus Christi non est prævisum existere, antequam sit prævisus Christus existere, Christus non est prævisus existere ante decretum, quo Deus decretivit dato humanitati unionem hypostaticam; ergo ante decretam unionem non potuit esse prævisum opus Christi, quod Deum movisset ad dandam unionem; ergo opus Christi non est meritum compensativum unionis. Imò implicat tale meritum, utpote quod existit post suum præmium;

Obj. 1. Idem respectu ejusdem potest esse causa & effectus in diverso genere: sic media sunt effectus finis in genere causæ finalis in intentione, sunt causa efficiens finis in executione; ergo etiam unio hypostatica potest esse principium meritorum subsequentium in genere causæ efficientis physicas

vel

vel in Executione, & effectus meritorum in genere causæ moralis vel in intentione.

R. Negando Maj. Universaliter intellectam, quia non semper potest aliquid esse causa & simul effectus in diverso genere causæ, sic non potest aliquid efficienter causare formam, per quam constituitur, nec potest esse causa instrumentalis illius, per quod principaliter producitur; ita etiam non possunt merita subsequentia unionem illam causare: quia unio secundum quod est principium operum Christi, debet prævideri existere ante opera: merita enim non influunt moraliter in præmium, nisi ut prævisa existere pro priori ad decretum præmium.

Obj. 2. Merita prædestinatorum in Executione vel secundum decretum executivum sunt causa gloriæ illamque merentur, in intentione sunt effectus: quia ideo Deus nobis dat merita, ut consequamur gloriam, vel quia decrevit dare gloriam: ergo à pari licet unio hypostatica in executione, seu secundum decretum executivum sit causa meritorum, in intentione tamen potuit esse effectus meritorum: quia ideo Deus voluit unionem dare, quia Christum prævidit habitâ unione esse elicitorum opera meritoria.

R. N. Consequentiam. Disparitas est: gloria non est causa effectiva meritorum prædestinati, sed causa finalis, quæ sufficienter præcedit effectum in intentione; merita sunt causa efficiens præmii, ideoque debent præcedere præmium in executione, ideoque vel existere, vel prævideti existere, antequam præmians resolvat & decernat dare præmium, unde non potuit unio esse præmium. An autem continuatio unionis possit absolute cadere sub merito multi negant, affirmativæ hæc datur ratio:

ratiō : quia cum Deus per absolutam potentiam possit destruere unionem hypostaticam , potuit eandem continuare sub conditione actuum meritoriorum Christi , sicut posset homo per absolutam Dei potentiam condigne mereri perseverantiam , quia per gratiam pro hac duratione habitam potest homo eandem per actus meritorios absolute mereri deinceps pro alia duratione habendam . Quomodo de facto per gratiam in via habitam meretur homo eandem æternū in patria habendam . Nec requiritur tam stricta distinctio inter meritum & præmium , qualis inter causam physicam & effectum : quia moralis motio causa meritoriae in hoc consistit , quod per sui cognitionem moveat præmiantem ad præmium ; sufficit igitur virtualis distinctio inter meritum & præmium ; ex quo fundamento non videtur repugnare , quod absolute unio hypostatica ut primò producta inducat per opera meritoria Deum præmiantem ad continuationem sui , ubi unio continuata virtualiter distinguendet à seipso , quatenus primò productā

Obj. 3. Non repugnat , quod Deus det aliquid sub conditione operis futuri , sicut Rex dat militi equum merendum per servitia militaria .

R. Distinguendo Ant. Non repugnat , quod Deus det aliquid sub conditione operis futuri ut opus futurum sit conditio Con. sit meritum Nego , in illo casu opus futurum non est causa meritoria donationis , sed est donatio sub conditione , sic in Exemplo adducto equus non est principium neque præmium boni usus equi , quia principium est virtus militis , præmium est dominium vel possessio equi , quæ sub conditione donatur .

Q. 1. An Christus meruerit circumstantias incarnationis ?

Ante-

Antequam redeatur Suppono: Circumstantias alias esse necessariò connexas cum incarnatione, & has non potuit Christus mereri, eò quod ipsam iucarnationem non potuerit mereti. Alias non esse necessariò cum ea connexas, & harum aliquæ incarnationem antecesserunt, qualia sunt oracula Prophetarum, Annuntiatio Angelica, consensus B.V. aliæ sunt concomitantes: ut Virginitas matris, talis locus, tale tempus, aliæ denique subsecutæ sunt incarnationem: ut Cantus Angelorum, Adorationis Magorum.

R^e. 1. Christus non est meritus circumstantias incarnationem antecedentes: quia tales circumstantiæ pertinent ad principium incarnationis, consequenter ad principium meriti & sic non cadunt sub merito. Si tamen prædictæ circumstantiæ sumantur materialiter, & secundùm se, præscindendo à ratione principii circa hoc mysterium, idem de illis est dicendum, quod infra dicetur de meritis Sanctorum veteris Testamenti.

R^e. 2. Neque meritus est Christus circumstantias concomitantes inquantum ad Christum pertinebant: quia sicut tenent ex parte principii meriti ut existentis & merentis: non enim humanitas puto possibilis vel nuda à circumstantiis, sed ut illis affecta meruit, videlicet humanitas Christi concepta de Spiritu sancto, ex B. Virgine nata illo tempore & loco fuit principium actionis meritoriae; ergo idem dicendum de his circumstantiis, quod de prioribus

R^e. 3. Circumstantias, quæ ipsam incarnationis executionem subsecutæ sunt, Christus meruit: cum nulla sit ratio hoc negandi, & ad majorem gloriam Christi pertineat illas habere ex merito, quam sine merito: cum, cæteris paribus, major sit gloria, quod aliquid habeatur, ex meritis,

quam

quam sine illis: præterea illæ circumstantiæ supponunt Christum existentem cum omnibus conditionibus ad meritum requisitis.

Q. 2. An Christus meruerit maternitatem
B. V.?

R. Negativè: Non enim potuit Christus mereri maternitatem B. V. tum quia illa fuit principium humanitatis Christi per generationem, quæ, juxta dicta, est principium omnium actionum meritoriorum Christi, nec meruit Christus, antequam fuerit Filius B. V.; non fuit autem Filius B. V. antequam B. Virgo fuerit mater Christi. Tum quia, ut Christus mereretur maternitatem, debebat prævideri ut existens ante maternitatem: cum meritum sit causa moralis efficiens præmii, de cuius naturâ est, causare ut existens; sed Christus non est prævisus existere pro priori ad maternitatem: cum ante maternitatem non fuerit extra omnes causas; ergo.

Dices. Omnes gratias & prærogativas, quas habuit B. V., habuit ex meritis Christi; ergo etiam maternitatem; ergo illam metitus est Christus,

R. Distinguendo: omnes gratias, quas habuit B. V., habuit ex meritis Christi, vel in genere causæ efficientis vel in genere causæ finalis Con, omnes in genere causas efficientis N. fuerunt aliquæ perfectiones, quibus ab intrinseco repugnabat sequi post meritum Christi. & consequenter non poterant esse præmium, quod ex natura rei petit sequi meritum; & talis fuit maternitas, fuit tamen illa effectus meritorum Christi in genere causæ finalis: quia Deus omnia dona Beatissimæ Virginis & Electorum, immo & totius universi ordinavit ad gloriam Christi ut redemptoris & elicientis opera scriitoria.

Dices

Dices 2. Christus est causa omnium effectuum prædestinationis B. V.: ipsa enim, sicut & omnes alii, est prædestinata ob Christum & ejus merita; ergo etiam Christus est causa maternitatis B. V.

R. Distinguendo Ant. Est causa omnium effectuum prædestinationis B. V vel finalis vel meritoria Con. præcisè meritoria N. est quidem B. V. sicut & alii. prædestinata ex meritis Christi quia omnes effectus ut consummandos per gloriam Christus meruit, ex hoc tamen non sequitur, quod omnes illos effectus secundum se meruerit Christus.

Dices 3. Christus in genere causæ meritoriae meruit B. V. gratiam, ergo & maternitatem: quia per gratiam B. V. meruit de congruo sibi maternitatem; ergo, cum causa causæ sit causa causati, Christus meruit maternitatem B. V.

R. Distinguendo Ant. Christus meruit B. V. gratiam materialiter Con. reduplicative, in quantum gratia B. V. est principium meriti merentis de congruo maternitatem N. & ita intelligendum est adductum principium: Videlicet causa causæ in illo ordine, quo causat, & prout causat, est etiam causa causati.

Q. 3. An merita Christi fuerint causa gratiarum Patribus veteris Testamenti datarum?

R. Christus fuit Causa gratiarum antiquis Patribus datarum non quidem moralis efficiens, sive propriè meritoria, sed finalis. Imprimis Christum fuisse causam gratiarum antiquis Patribus datarum probatur ex Trident. quod fess. 5. de peccato originali Can. 3. definit. Peccatum non tolli per aliud remedium, quam per meritum unius mediatoris D. N. JESU Christi, & ratio est, quia Christus est caput corporis mystici totius Ecclesiæ,

ad

V.
DE CAUSA MERITORIA UNIONIS. 31

ad quam pertinuerunt fideles etiam antiqui Testamenti, caput autem influit & communicat vigorem omnibus membris; ergo gratiæ antiquis Patribus datæ sunt ex influxu Christi per merita, ita ut merita Christi illas causaverint in genere causæ finalis: cum Christus ut redemptor & merens fuerit finis omnium donorum hominibus collatorum: quia enim Christus non tantum quoad substantiam, sed etiam secundum quodlibet opus meritorium excedit in valore omnem cæterorum gratiarum, decuit, quod omnis gratia hominibus concessa fuerit ob merita Christi, aut ob Christum merentem sicut ob finem; unde apparet notabilis differentia inter nostra merita ad gloriam, & merita Christi ad nostram gratiam; nostra merita non sunt finis respectu gloriae, sed sunt via vel motus vel causa efficiens moralis gloriae, & econtra gloria non est causa efficiens meritorum, sed solum causa finalis; at merita Christi sunt finis nostræ gratiarum, juxta Apost. ad Rom. 10. v. 4. *Finis Legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Quod autem merita Christi non causaverint gratias antiquorum Patrum in genere causæ moralis efficientis probabiliter sustinetur cum pluribus Thomistis contra plures alios, ex hac ratione: quia merita Christi nec præextiterunt, nec prævisa sunt existere ante gratias antiquis PP. datas; non enim sunt prævisa ante Christum, sicut in præcedentibus saepe dictum est; ergo non causarunt eas in genere causa efficientis; sicut enim est proprium causæ finalis, quod præexistat effectui in suo genere causæ, videlicet in intentione, sic est proprium causæ efficientis, ut præexistat in executione: quia à causa efficiente incipit executio.

Nec dicas: Quod merita Christi non fuerint à

Pars III. Theol. Schol.

F

parte

parte rei ante Patres antiqui Testamenti, fuerint tamen in prævisione divina: quia Deus intuitu istorum meritorum, quæ prævidebat, dedit gratias Patribus.

Contra enim est: Quia illud est agere Deum intuitu meritorum Christi, & vi illorum se inclinare ad dandam gratiam, quod Christus eliciens opera meritoria fuerit intentus à Deo aliorum finis, ex cuius finis aïnore inclinatus fuit ad dandam antiquis Patribus gratiam; aliud autem est, Christum mereri gratiam antiquis PP. effectivè, illamque sibi reddi vi operum meritoriorum debitam per modum præmii: quia ad hoc erat necessarium, quod Christus fuisset prævisus actu merens, actu agens, actu existens pro priori ad gratiam, quæ non habuit Christus, etiam in mente divina; quia non est prævisus existere, & agere liberè, pro priori ad tali gratiam.

Dices 1. Christus redemit Patres antiquos, pro eisdem perfectè satisfecit, alias enim non posset cum proprietate dici Salvator & Redemptor Sanctorum veteris Testamenti; sed ad hos effectus sat non fuit, ut aliter influeret, nisi simul influeret meritorie; ergo Christus in genere causæ meritoriaz causavit gratias antiquorum Patrum.

R. N. Mi. Quia, ut dicatur propriè Redemptor sufficit, quod Christus reddiderit pretium æquale vel præsens vel futurum pro redimendis Sanctis veteris Testamenti, non enim requiritur, ut actu solvatur pretium, dum liberatur captivus, sed sufficit, quod liberatur captivus intuitu pretii postmodum solvendi, in cuius actuali præstatione liberatio consummatur; notabilis igitur est differentia inter solutionem vel satisfactionem & actionem merentem; quod meritum dum influit in ratio-

ne

DE CAUSA MERITORIA UNIONIS.

ne causæ efficientis, præcedit ut existens, & in executione causat effectum, & comparatur ad præmium per modum viæ, motus & acquisitionis; igitur repugnat, quod respiciat per modum præmii rem jam ante collatam; Solutio autem vel satisfactio aut redemptio talia non requirit, sed possunt æquè bene fieri pro re de præsenti data vel danda in futurum, ut in humanis contractibus videimus; & hac ratione Christus, dum patiebatur, propriè redimebat antiquos PP., quantum complebat redemptionem & satisfactionem solvendo actualiter pretium liberationis.

Dices 2. Si Christus in gratias antiquis PP. collatas influxerit solum per modum causæ finalis & non per modum causæ moraliter efficientis, ergo beneficium incarnationis non profuit plus Patribus antiquis, quam Angelis: quia etiam Angelorum gratiae sunt relatæ in gloriam Redemptoris, sicut omnes creaturæ totius Universi; consequens autem videtur absurdum: cum beneficium incarnationis principaliter fuerit in utilitatem generis humani. Ergo & antecedens.

R. N. Consequentiam: Quia licet PP. antiqui Testamenti in hoc convenienter cum Angelis, quod acceperint gratiam dependenter à Christo Redemptore, sicut à fine, ad cuius gloriam sunt ordinati, in aliis tamen pluribus Capitibus differunt: quia in primis Angeli non sunt redempti, cum pro illis non sit oblatum pretium æquale ad eos liberandos, sicut pro Patribus. Secundò licet Christus non meruerit efficienter gratiam primò collatam Patribus, tamen eandem gratiam ut consummata in gloriam essentialiem meruit: hanc enim post Christi passionem non solum ut debitam titulo hæreditatis & Coronæ propriis

meritis sed etiam ut debitum præmium meritis Christi acceperunt.

Q. 4. An Christus meruerit, ut in resurrectione anima ejus corpori reuniretur?

R. Non tantum reunionem animæ cum corpore sed etiam meruit Christus reunionem cum tota humanitate factam in instanti resurrectionis, ut constat ex illo Apocal. 5. v. 12. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem & divinitatem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam*, quo designatur resurrectio, quæ involvit non tantum reunionem animæ cum corpore, sed etiam reunionem divinitatis cum tota humanitate, quæ in triduo mortis erat destruxta.

Q U A E S T I O III.

An Beata Virgo & SS. Patres meruerint unionem?

DICO. Ex congruo meruerunt Sancti Patres incarnationem.... B. Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari, sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis & sanctitatis gradum, ut congruè posset esse mater Dei. S. Th. hic Q. 2. a. 11. O. & ad 3. sive SS. PP. & B. Virgo non de condigno, sed de congruo potuerunt mereri, & de facto meruerunt incarnationem, meruit quoque B. V. de condigno illum sanctitatis gradum ut congruè esset mater Dei, maternitatem tamen Dei meruit tantum de congruo.

Prima pars probatur: Incarnatio fuit maxima gratia; ergo non fuit præmium ex justitia debitum meritis hominum, Ant. patet ex pluribus Scripturæ locis Luc. 1. v. 78. Per viscera misericordia Dei nostri,

n præmium nostrī , in quibus visitavit nos oriens ex alto. Ad Tit. 2. v. 11. Apparuit gratia Dei Salvatoris nōrit, ut in teſtri. Deinde opera SS. PP. & B. Virginis non erit: fuerunt æqualia secundū moralem hominum estimationem ad beneficium incarnationis, imò nec reunionem animæ cum i resurrectione potuerunt: cum id sit infiniti valoris & dignitatis , opera autem SS. PP. & B. Virginis fuerunt finita ; ergo nequidein potuerunt de con- digno mereri tantum præmium.

Ego honorabo Secunda pars probatur : Quando opus laudabile ab amico præstatut, meritum de congtruo est in ordine ad consequendum beneficium , quod tale obsequium præstitum antecedit; sed SS. PP. & B. ructa, V. erant amici Dei per gratiam & elicere poterant opera supernaturalia ad consequendum generale beneficium incarnationis; ergo,

atres merentur Tertia pars probatur : Opera SS. PP. & B. V. habebant omnes conditiones requifitas ad meritum de congruo respectu incarnationis; ergo illum meruerunt: quia imprimis non solum natura, *sunt Sancti P.* *ego dicimus* sed etiam tempore præcesserunt executionem incarnationis. Secundò erant opera elicita ab amicis Dei. Tertiò dirigebantur ad obtinendum non solum circumstantias, sed multò magis ipsam substantiam incarnationis.

a. II. O. Quarta pars probatur : Ille sanctitatis gradus consistit in Excellentissimo gratiæ sanctificantis ac virtutum connexarum id augmento, quod augmentum B. V. mereri potuit, quamvis non omnes dispositiones meruerit: ut quod concepta fuerit sine macula, quod nullum peccatum veniale commisit.

ratio fuit at ex justitia de pluribus San Quinta pars probatur : Non poterat beata Virgo maternitatem Dei mereri de condigno: quia maternitas Dei importat majorem valorem, quam ha-

beant opera B. Virginis: cum maternitas Deiparæ pertineat ad ordinem hypostaticum, & consequenter merita B. Virginis, quæ sunt inferioris ordinis, non poterant illam adæquare. Deinde: operibus meritoriis B. V. correspondebat augmentum gratiæ & gloriæ Essentialis, si igitur præter hæc meruisset maternitatem, præmium excessisset meritum, & consequenter non poterat esse præmium condignum; poterat autem maternitas esse præmium de congruo: quia opera B. V. habuerunt omnes conditiones requisitas ad meritum de congruo: quia ad illud non requiritur æqualis operum valor cum præmio, nec requiritur determinata præmiantis aut remunerantis promissio, sed sufficit opera esse laudabilia, & orta à subiecto, quod Deo arctissimo amicitiæ vinculo obstrinatur.

Obj. Principium meriti non potest cadere sub merito, ut toties est dictum; sed incarnatio est principium meriti sanctorum Patrum & B. Virginis; ergo sancti Patres & beata Virgo non potuerunt, nequidem de congruo, mereri incarnationem.

Rép. Principium meriti in genere causæ efficiens non potest cadere sub merito Con. principium meriti in genere causæ finalis non potest cadere sub merito N. sed incarnatio est principium meritorum SS. PP. & B. Virginis in genere causæ finalis, quæ in executione tamen antecedebant incarnationem, & ideo in genere causæ efficiens moralis eadem merita ad ipsam incarnationem concurrere possunt.

QUÆ.

QUÆSTIO IV.

An gratia unionis sit Christo naturalis?

DI CO. Gratia unionis non est naturalis Christo secundum humanam naturam, quasi ex principiis humanae naturæ causata. . est tamen naturalis ei secundum humanam naturam propter proprietatem nativitatis ipsius. S. Th. hic Q. 2. a. 12. ad 3.

Explicatur conclusio ex S. D. in art. cit. ita diligenter : Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in 5to Metaphys. natura uno modo dici pur ipsa nativitas alio modo essentia rei unde naturale potest aliquid dici dupliciter uno modo, quod est tantum ex principiis essentialibus rei, sicut igni naturale est sursum ferri: alio modo dicitur esse homini naturale, quod ab ipsa nativitate habet secundum illud Ephes. 2. eramus natura filii ira. Et Sap. 12. nequam est natio eorum & naturalis malitia ipsorum. Gratia igitur Christi sive unionis, sive habitualis non potest dici naturalis, quasi causata ex principiis humanae naturæ in Christo: quamvis posset dici naturalis quasi proveniens in naturam humanam Christi, causante divinâ naturâ ipsius. Dicitur autem naturalis utraque gratia in Christo, in quantum eam à nativitate habuit, quia ab initio conceptionis fuit natura humana divinæ personæ unita, & anima ejus fuit munere gratiae repleta. Ita S. D. L. cit. ubi objectiones solvit. Videlicet quod unio dicatur naturalis, non quod ex pluribus naturis sit facta una natura, sed quod in natura humana Christi sic causata virtute divinæ naturæ ab ipsa nativitate; deinde quod sit gratia, quia non supponit aliquod Christi meritum, & simul sit naturalis id est à nativitate Christo conveniens.

Ex quo sufficienter intelligitur modus loquendi SS. PP. illam unionem naturalem appellantium, ut excluderent hæresin Nestorii, qui illam conjunctionem per inhabitationem, per affectum, per operationem dignitatem & Authoritatem fuisse asserebat.

DISPUTATIO VI.

De Unione ex parte Assumptionis & naturæ assumptæ.

QUÆSTIO I.

An & quomodo persona & natura divina conveniat assumere creatam naturam?

DIICO 1. Propriissime competit persona assumere naturam. S. Th. hic Q. 3. a. 1. O.

Probatur: Assumere is tantum propriè dicitur, qui assumptionis activum principium est, & simul terminus hypostaticè sustentans naturam; atque ita se habet persona divina: persona, enim quatenus habet naturam divinam, est principium activum assumptionis; natura enim est principium & ratio agendi; quatenus verò habet personalitatem, eatus est terminus naturæ assumptæ eam reddens incommunicabiliter subsistentem.

DIICO 2. *Esse assumptionis principium convenit naturæ divina secundum seipsum... sed esse terminum assumptionis non convenit divina natura secundum seipsum sed ratione personæ, in qua consideratur.* S. Th. loc. cit. a. 2. O.

Prima Pars probata est Disp. IV. Q. III.

Secunda Pars Intellecta de eo, quod de facto est,